DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HEPATITIDE ACUTA.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE

HEPATITIDE ACUTA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

DAVID HASTIE,

Scotus,

SOCIETATIS REGIAE MEDICAE EDINENSIS SOCIUS.

———*Per multas aditum sibi saepe figuras*
Reperit.——— OVID. MET. XIV. 652.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1816.

VIRO PERILLUSTRI,

ROBERTO WIGRAM, BARONETTO,

APUD

AEDES WALTHAMSTOW,

IN COMITATU ESSEXIAE;

NON SOLUM

INSIGNI BENEFICIENTIA, SED CAETERIS QUOQUE VIRTUTIBUS,

QUAE HOMINEM AUT CIVEM DECORANT,

ORNATISSIMO;

HOCCE OPUSCULUM QUALECUNQUE,

(UTINAM TALI PATRONO DIGNIUS ESSET!)

ANIMI GRATISSIMI TESTIMONIUM PEREXIGUUM,

SUMMA OBSERVANTIA,

DEDICAT CONSECRATQUE

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HEPATITIDE ACUTA.

AUCTORE DAVIDE HASTIE.

PRAEFANDA.

Quum jecur nunquam et nusquam non vitiis patuit, medici, cum vetustiores, tum quoque recentiores et hodierni, quam plurima de morbis hujus visceris scriptis tradiderunt. Pater autem rei medicae venerandus et ejus aemuli, fabricae corporis humani interioris ignari, nihil utilis aut certi de jecinoris malis literis mandarunt. Neque ratio latet; medicis scilicet antiquis cadave-

ra morbis absumptorum introspicere non licuit; unde non raro aliis partibus vitiosis, perperam jecur laborare existimarunt.

Cum igitur non nisi, corporibus scalpello patefactis, morborum sedes, et causas continentes explorare et intelligere possumus; non mirandum, quod hodierni et recentiores soli jecinoris et aliorum viscerum mala clare cognoverint.

Etiamsi ubique terrarum, et sub omni coeli et tempestatum genere, jecur morbis patescat, regiones tamen "currui solis nimium propinquo" subjectae, maxime India Occidentalis aut Orientalis, iis favent. Ex quo igitur Britanni aliique Europaei, sedibus patriis relictis, ad has terras exustas se recipere consuerint, morbi hujus visceris crebrius quam antehac torserunt. Scire equidem licet, dum vitia pulmonis prae aliis terrarum septentrionalium, geluque pigrarum incolas absumit, mala jecinoris eos

enecare potius, qui Indiam alterutram accolunt. Ex his vero nullum passu celeriori ad eventum properat, quam inflammatio acuta: de qua scribere coactus, pauca literis tradere statui; non sane spe novi proferendi accensus. Solum in animo est, sermone brevi, et, si quid possem, lucido, praecipua huc attinentia, quae medici celeberrimi ediderint, memorare.

Cullenus *Hepatitidem* acutam Classi *Pyrexiae*, et Ordini *Phlegmasiae* subjectam, ita definivit: "Pyrexia; hypochon-"drii dextri tensio et dolor, saepe pungens, "pleuritici instar, saepius obtusus; dolor "ad claviculam et summum humeri dextri; "decubitus in sinistrum latus difficilis; "dyspnoea; tussis sicca; vomitus; singul-"tus." Perraro hae notae omnes alicui contingunt, quod causae infra memorandae debetur. Quo magis facultas spirandi, et motus cordis et arteriarum perturbentur aut impediantur, eo fere minus laborant

ventriculus et intestina. Haec praefatus, ad signa proponenda transibo.

DE SIGNIS.

Inflammatio jecinoris haud secus atque aliarum partium e febre incipit. Principio anxietas et artuum resolutio urgent. Dein vicissim corpus modo inhorrescit, modo exardet. Hae notae interdum tantulae sunt, ut medicum et aegrum ipsum pene lateant. Paulo postea ardores increscunt et perstant; arteriae simul crebrius duriusque quam fert natura saliunt. Deinde dolor hebes aut acutus circa *hypochondrium* dextrum torquet; quod simul aliquam tensionem sibi praefert.

Dolor ingravescit, manu opprimente, aut inter inspirandum vel tussiendum; aut demum, aegro in latus sanum cubante. Nec

vero dolet jecur unicum : unde scilicet dolor ad humerum dextrum et *claviculam*, imo vero ad scapulam ascendit. Tussis frequens vexat, sputi omnino expers: aeger saepe singultit; quae duo mala eo usque actionem idoneam septi transversi impediunt, ut aliquando spiritum valde gravent. Cutis praeter naturam calet et aret, subinde lutea flavet: lingua et fauces sorde candida aut subflava inquinatur; quae, malis ingravescentibus, nigricare coepit. Actiones, quas, homine integro, ventriculi et intestinorum est exequi, valde turbantur et fere torpent. Aeger cibos fastidit, et frequenter jam sumptos evomit. Quod ventriculus ejicit, id fuscum et biliosum esse solet. Alvus longe saepius pigra, raro descendit, et stercus dejicitur durius quam ex consuétudine; et simul album, odorisque expers: quod perpetuum non est; siquidem nonnunquam alvus biliosa et copiosa profluit. Humores porro vitiantur; fel, id quod jecinoris concitatae actioni contingere solet,

acrius fit, quam fert natura. Sanguis vena incisa missus non solum tunicam istam corio consimilem et inflammationis propriam sibi induit; verum etiam *serum* ejus, bile nimirum imbutum, subviride est. Urina excernitur parca, rufa et crassa. Roseus periculis institutis comperisse sibi videtur *uream* urinae deficere, jecinore vitioso aegrotantibus *.

Alia tamen aliis eveniunt signa, prout haec illave jecoris pars inflammetur. Si laborat facies ejus gibba sive superior, oculis non raro patescit tumor; et dolor, manu opprimente, multo vehementius intenditur. Instrumenta respirando dicata longe magis perturbantur, praesertim septum transversum: quo fit, ut aeger creberrime singultiat et tussiat, et summo labore animam trahat et emittat. Alvus quoque persaepe fusa est et biliosa. Quod si pars altera concava

* Vide Annals of Philosophy, vol. v. 424. Hoc confirmatur a Doctore Henry, in vol. vi. p. 392.

inflammatur, officia canalis alimenti potius impediuntur; nausea et vomitus magis cruciant; dolor hebetior tentat; alvus pigra raro excernit, descendit autem album et durum. Etsi enim jecur inflammatione acuta implicitum plus solito fellis praeparat, huic exire non licet, si facies inferior inflammata et tumefacta fistulam excernentem comprimit. Resorpta igitur bile cutis flavet.

DE FINIBUS.

Inflammatio, quam prosequor, resolutione, suppuratione, gangraena et *Hepatitide Chronica* finiri potest. Ea porro vasorum actio, qua efficitur ut partes inflammatae vicinis adhaereant, suppurationem fere comitatur. De harum singulis pauca disputabo.

Resolutio.—Si arteriarum motus lentior

fit; si tumor, dolor et tensio sensim conquiescunt; si intra septem dies, instrumenta spirandi, concoquendi, secernendi et excernendi ad integram actionem redire incipiunt; resolutionem instare judicamus. Hanc vero indicant et inferunt, uti aliis partibus inflammatis, fluxus copiosi alicubi corporis sua sponte, aut arte adjuvante, accedentes. Hujusmodi sunt cursus sanguinis e naribus, aut ex imi intestini venis, sudor, urina multa, ex qua furfuri simile decidit; aut dejectio alvi *mucosa*. Cullenus anceps dubitat, necne sputis solvatur inflammatio proposita. Auctores tamen nuperi exempla scriptis mandarunt sputi copiosi cito hujus morbi resolutione excepti.

Suppuratio.—Quod si, diebus septem exactis, signa non mitescunt, suppurationem venturam statuimus. Eadem vero jam incepit, si arteriae motu molliori exagitantur; si mitescente dolore, ponderis sensus et quasi pulsus circa partem affectam urgent;

praecipue si, quod interdum accidit, pars intumescit, et leniter icta fluctuat. Quinetiam, artus nunc vicissim horrore rigent et incalescunt, quibus caetera febris *hecticae* indicia accedunt. Proximum est ut abscessu dirupto pus extrorsum profluat, si pars jecoris, quae suppuraverit, et parietes ventris cohaeserint: sin minus, necesse est, ut diruptione facta pus in ventrem fundatur; unde *ascites* quasi purulentus efficitur. Fieri quoque potest, ut, septo transverso et jecinore cohaerentibus et illius parte exesa, aditus puri in pectus patescat, *Empyemate* facto: aut si duae *pleurae* ibi invicem conglutinentur, pus in fistulas et *cellulas* spiritui dicatas transibit, extussiendum; aut si copia sit major, strangulaturum. Quoties expuitur, fons ejus apparet, non solum e signis jecinoris affecti praegressis; verum etiam ex eo, quod pus ipsum flavet et amarum est. Praeter haec, abscessu facto, pus per bilis canales transit, in intestinum *duodenum* profluxurum, et denuo dejiciendum;

quod bonum est. Si vero facies concava suppuraverit, prout jecur cum ventriculo, *duodeno*, rene dextro, vena *cava* aut intestino *colo* committatur, pus in aliquam harum partium profunditur. Pessimum est, si in ventrem fluit, et fere lethale : optimum, si extrorsum feratur. Quod ad alias ejus vias, eventus felix aut malus erit, pro corporis indole, virium ratione, aetate, et quae sunt his similia.

De gangraena.—MORGAGNIUS * et SAUNDERIUS † jecur inflammatum interdum, at rarius, in gangraenam abiisse nos certiores fecerunt. Eam futuram suspicamur, si inflammatio diu et acriter contorserit, neque accesserint suppurationis notae. Praesertim vero statuimus, si tandem dolor ex improviso conquiescit, si sudor gelidus totam

* Vide Morgagnium de Sedibus et Causis Morborum, Epist. xxxiv, § 25.

† Vide Saunders on the Liver, et quoque Edinburgh Medical and Surgical Journal, vol. viii, p. 56.

summam cutem male habet, et anima pene deficit.

Hepatitis chronica.—Proxime suppurationem, inflammatio *chronica*, sive vetusta, frequentissimus est eventus morbi propositi: et sane eo insidiatur, ut haud raro adsit, ubi sanitas medico rediisse videtur. Febris enim et signa vehementiora fugantur, sed spes paulo postea fallit, et alia pessima accedunt. Cibi desiderium, robur, et vires concoctrices dilabuntur, corpus extenuatur, singultus et tussis aliquando vexant. Sensus plenitudinis et gravitatis circa jecur adhuc tentant. Tussis dolorem exiguum saltem movet; neque aeger ex facili spiritum trahit, aut sanam in partem cubat. Omnes notae cibo male concocto oriri solitae magnopere urgent, et alvus varia, modo stricta, alias soluta, descendit. Vultus aut utilescit, aut saepius luridus, cadaveris instar, collabitur, oculis nitore destitutis. Subinde febricula accedit.

QUAE SECTO CADAVERE REPERIANTUR.

Quum jecur acuta inflammatione laborat, membrana, qua cingitur, uti notavit Cullenus, saepius et potius quam ipsius compages, afficitur. Si inflammatio valde exarserit, cadavere secto, haec membrana vasis ruberrimis superfluere conspicitur; crassior est simul, et mollior, et opaca. Hic illic lympha glutinosa effusa velatur, quae vasis dein instructa jecur cum visceribus proximis committit. Haec lympha modo crassa est, alias tenuior: si crassa sit, *fibrinae* sanguinis propriae speciem sibi praefert. Si jecinoris penetralia inflammantur, quod rarius est, ubi inflammatio acuta subest, jecur incisum saturiorem exhibet colorem, et quasi purpurascit: densius est quoque quam corpore sano. Interdum membrana cingens aureo colore inficitur.

Ubi, abscessu facto, febris *hectica* et lenta tabes hominem enecuerint, ea secto corpore prodeunt, quae supra memoravimus. Quod si gangraena hominem absumpserit, pars hoc vitio laesa nigricat aut livet, male olet, et fabrica ejus resoluta ex facili dilaceratur.

DE DIAGNOSI.

Morbi, qui hanc inflammationem adeo referunt, ut medicum consilii dubium decipiant, sunt *Pneumonia, Gastritis, Enteritis, Rheumatismus* fibrarum motricium jecori affinium, *Icterus* et *Hepatitis Chronica.* Qui morbi quomodo a proposito discernantur, brevi sermone indicare conabor.

Pneumonia.—Jecur, quum pulmoni dexteriori conterminum est, inflammatum notas aliquas, quales pulmoni eodem malo

tentato contingunt, exhibet; et nonnunquam dictu est difficile, ima pars hujus, an gibba illius facies inflammetur. Dolor autem, jecore inflammato, non pulmone, premente manu acuitur, et ad summam humeri dextri partem tendit. Difficile est, hoc affecto, in dolentem partem, illo contra, in sanum latus, decumbere. Nausea, vomitus, singultus, oculi et summa cutis aurei, dejectiones fere albidae, quae jecur inflammari testantur, *Pneumoniae* deesse consuerunt. Semper fere dolet dextrum latus abdominis, illo affecto: hac vero praesente, lateri alterutri pectoris dolor insidet. Ratio porro coeli, et anni tempestatum et regionum haud parum valet. *Hepatitis* scilicet regiones sole torrido exustas affectat, et aestate vel autumno grassatur. *Pneumonia* autem terris frigidis et septentrionalibus potius contingit; maximeque Britanniae aliisque insulis, quae Jove frigido, pluviisque frequentibus a natura donantur.

Gastritis.—Non difficile est cognitu *Gastritis* an *Hepatitis* cruciet. Illa enim denunciatur dolore acerbissimo circa ventriculum, ardore gravissimo : huic, contra, dolore *Hypochondrii* humerique dextri. Illa urgente, cibi potusve ingesti protinus rejiciuntur, vires ab initio insigniter et subito prosternuntur, et singultus crebrior et dolentior est. Eadem, denique, sub omni coeli et locorum genere, noxis illatis, accendi potest.

Enteritis.—Quem vexat *Enteritis*, ei dolor praecipue circa umbilicum torquet ; deest humeri dolor, et arteriarum motus exilis vires labefactas arguit. Praeter haec, cutis huic inflammationi non flava, nec dejectiones albae satis vetant, quo minus erret medicus.

Rheumatismus.—Si musculi jecori propinqui *Rheumatismo* plectuntur, etsi doleat hujus regio, errare tamen non facile erit.

Signa enim jecinoris affecti propria deficiunt; dolores artuum quoque, et dolores, quos prosequor, vicissim occupant.

Icterus Calculosus.—*Icterus* longe saepius cum inflammatione jecinoris *Chronica*, quam acuta, confunditur. Interdum vero, si febris ardens ei adjicitur, acutam ipsam simulat. Dolor, *Ictero* saeviente, circa ventriculum cruciat, et uni quasi puncto insidet; etiam febrem, si haec sane superveniat, antecedit. Manu premente non intenditur; corpori prorsum inclinato mitescit; remediis porro *spasmi* solventibus lenitur; cibo accepto, ingravescit. Haec signa *Icterum Calculosum* praedicant; et eorum fons magis in aprico fit, si calculus dejiceretur.

Hepatitis Chronica.—Inflammatio jecinoris acuta et *Chronica* se invicem haud raro inferunt. Omnes notae huic quam illi leniores et obscuriores sunt. Vultus huic

magis pallet: sensus ponderis potius quam doloris, et interdum tumor durus accedunt. Actio porro canalis alimenti plus torpet; et pene omnia mala *Dyspepsiae* propria affligunt.

De causis proclivitatis genetricibus.—Atra bile imbuti, potius et frequentius quam sanguinei, aliave corporis indole praediti, in hunc morbum incidunt. Mares prae foeminis, adultos et ad senium vergentes prae junioribus, adoriri consuevit. Vegeti porro et sanguinis pleni saepe eo plectuntur. Quidam asserunt, struma infectos admodum opportunos esse: quibus assentiri nequeo. Illud forsan praedicare licet, si quando inflammatio jecinoris strumae accedit, frequentius supervenire ulcus sanatu difficillimum, et diram febrem *hecticam* illaturum.

De causis excitantibus.—Quae causae alia viscera, eadem jecur inflammare possunt. Hujus tamen inflammatio aliquas sui pro-

prias agnoscit. Frigus, imprimis, causae valenti habendum est: quod eo magis nocet, si corpus jam aestuans aut insudans ei objicitur. Rores nocturni, praecipue si homo antea ardoribus meridianis patuerit, eodem pertinent. Persaepe costae spuriae, aut jecur ipsum ictú violata, hanc intulerunt inflammationem. Haec porro interdum menstrua aut *haemorrhoidem* suppressa excepit. Quod ad eas causas, quae jecur unice inflammant, inter has praepollent regiones sole torrido exustae, praecipueque India Orientalis. Europaei, qui, relicta patria, huc se recipiunt, propensiores habentur, quos hic morbus corripiat, quam ipsi Aborigines. Quod causae duplici tribuendum; partim luxui, cui se dedere consuerunt, partim coeli rationi adhuc novae et insolitae. Febres porro remittentes et intermittentes, quae creberrime in India Orientali maximeque in Bengalia grassantur, jecur plurimum laedunt, et ita inflammationi subeundae opportuniùs reddunt. Hinc forsan in

aprico est, cur mala jecinoris longe magis et saepius Indiae Orientalis quam Occidentalis incolas affligunt: febres enim, de quibus retuli, multo minus hanc quam illam populantur. Ebrietas, satietas, condita vorata, haud parum operae conferunt: temperate enim vivere soliti, vel si ad Indiam migrent, aliquando hujus morbi immunes perstant *. Hae tamen causae potius eum terras septentrionales et frigidas accolentibus inferunt. Equitare aut acriter ambulare eodem spectat. Milites itinere longo defatigati, in regionibus sole torrido exustis, persaepe hac inflammatione aegrotant †. Quinetiam, calculi bilis canalibus infixi et caput ictu violatum subinde jecur inflammarunt ‡. Denique, ejusdem inflammatio *chronica* interdum in acutam desinit.

* Vide Bontius.

† Vide Girdlestone on Hepatitis and the Spasmodic Diseases of India.

‡ Vide Oeuvres de Desault par Bichat, tom. 2de.

§ Cullen.

DE SIGNORUM RATIONE.

Non nisi de gravioribus signorum disputare in animo est.

Dolor humeri dextri et claviculae.—Quidam hunc dolorem retulerunt ad inflammationem acerrimam a jecinore ad septum transversum, inde ad *mediastinum* aliasque *pleurae* partes pertinentem. Quae opinio si vera esset, non video cur aliae partes circumjectae, praeter humerum ipsum, non acute doleant. Potius conjicio hanc partem dolore cruciari, quod inflammatio jecinoris nervo *phrenico* dexteriori irritamento est: unde irritatur *plexus axillaris*, quippe qui eodem fonte, quo nervus ille, enascitur. Dolor hebes humeri, aut ponderis sensus huc relatus, *hepatitide chronica* urgente, hanc causam esse arguere videtur.

Difficultas cubandi in sanum latus.—Ligamenta jecinoris, quum ex ejus membrana exteriori duplici conficiuntur, jecore inflammato, quoque inflammantur. Aegro igitur in sanum latus cubante, haec ligamenta intenduntur, jecinore suo nutu horsum lato; ideoque dolor ingravescit.

Tussis, singultus, spirandi difficultas.—Haec signa, facie convexa jecinoris laborante, magis contorquent : omnia e septo transverso impedito et irritato gignuntur. Hic musculus enim praesertim inter tussiendum molitur. Tussis sputo caret, quia non natura asperam arteriam irritante procreatur. De singultu satis est ut praedicem hoc signum fibris septi transversi convulsis contineri. Aeger graviter spirat, eo quod jecur aequo grandius septum transversum facile descendere non sinit : spirat haud citra dolorem, quia hic musculus inter descendendum jecur inflammatum opprimit ; eoque dolorem ascendit.

Nausea et vomitus.—Triplici vinculo jecur et ventriculus invicem nectuntur : unum nervi efficiunt : haec viscera porro contermina sunt inter se ; quo fit, ut altero inflammato, alter vix non ejusdem mali sit particeps. Denique, fel cibi concoctionem admodum juvat ; ventriculus igitur, jecore vitioso, patitur, ob hunc succum parcum, nimium aut vitiatum. Hisce perspectis, non mirum videbitur, nauseam et vomitum, jecore inflammato, tentare ; longe magis tamen saeviunt, affecta parte concava, quippe quae ventriculo proxima est.

Cutis flava.—Cutis aurea fere alvo tardae et dejectionibus candidis jungitur. Omnia haec indicia e facie concava jecoris inflammata oriuntur : haec enim pars tumefacta *ductum hepaticum* premit, nec fel excerni sinit. Alvus igitur, hoc deficiente, tardatur ; et cutis oculique crocei fiunt, eodem in sanguinem per vasa resorbentia delato.

DE PROGNOSI.

De futuro hujus morbi eventu judicare licebit, non signis unice observatis; sed quoque aegri aetate, virium ratione, et corporis indole perspectis.

Si quis luxu, vitaque parum temperate acta labefactus eo laborat, maxime si jam consenuerit, vix salvus is futurus est. Haec sane inflammatio tam saepe et facile ad suppurationem tendit, vel ubi levior fuerit, ut non nisi, remediis idoneis ab initio ipso summa ope adhibitis, hic finis praecaveri possit. Si vero signa curationi tempestivae celeriter cedunt; si urina excerni coepit multa et crassa; si summa cutis sudore leni tepidoque ubique aequaliter diffluit; si vultus mentem hilarem praedicat, oculi nitent; vires concoctrices renascuntur: salutem

redditurum esse, jure speramus. Quod si spiritus admodum laborat; si ventriculus et intestina aegre officiis funguntur; si febris increscit, et homo simul delirat; si vomitus subest, et summa cutis gelido sudore humet: in praecipiti hominem versari, et ad ultima ventum esse, constat.

Nunquam bonae habendae sunt instantis suppurationis notae: metuendum enim, ne abscessu intus dirupto, pus in ventrem profluat. Si extrorsum feratur, salus redire poterit, modo vires medicamentis et victu idoneis sustineantur.

Gangraenam accedentem fatum nunquam non secum afferre, scire licet.

DE MEDENDI RATIONE.

Haec inflammatio, ut aliae, corpus quam primum exinaniri desiderat; quo feliciter solvatur; et suppuratio, aliive fines mali, prohibeantur. Quibus remediis resolutio inferatur, nunc dicendum.

Sanguis detractio.—Sanguis, mora nulla, vena brachii incisa, mitti debebit. Plus minusve eliciendum, prout vires, aetas, et notae suadeant. Copiam amplam subito, et incisura ampla facta, detrahere praestat, quam exiguam, aut lento rivo. Venae enim quo celerius depleantur, eo plus collabuntur: quoniam non momento temporis moli sanguinis imminutae se accommodant. Satius est porro ut vena brachii dextri, quam laevi, iceretur. Venae minus vacuefieri debent in terris aestuosis et circulo aequi-

noctiali propinquis, quam septentrionalibus; eo quod sol ardens corpus extenuat et infirmat. Si sanguis semel missus parum juverit, et dolor adhuc saevit, arteriaeque motu duro exagitantur; iterum venam secare oportebit: nec alii remedio fisis, nobis eventum felicem expectare licet. Quidam medici venas post diem quartum recte depleri negant*; scilicet, quia haec inflammatio ad suppurationem, ut aiunt, quam facillimo passu tendit. Nullo autem tempore sanguis non recte detrahitur, si motus arteriarum duri sint, dolorque urgeat.

Vena brachii jam toties incisa, ut satis sanguinis inde effluxisse videatur, venae partis affectae exinaniendae erunt, impositis hirudinibus, aut cucurbitulis cum ferro. Etsi enim pauxillum sanguinis ita detrahatur, multum opitulabitur.

Exulcerantia.—Emplastrum *meloës vesi-*

* Vide Lieutaud Synopsis, p. 250.

catorii quam proxime ad partem dolentem admotum, si id mature fiat, multum proderit, humoribus extrorsum latis. Hoc genus remedii non proficit ob eam exiguam seri copiam, quam elicit; sed vasa cuti subjecta implendo; quo fit, ut arteriae et venae jecinoris minus sanguinis accipiant. Quod cum ita se habeat, constat satius esse emplastrum propositum crebro novare, quam ulcus primo imposito oriundum arte servare. Si vires insigniter concidant, unguento e *tartrite antimonii* et adipe confecto pars illinenda est, *meloë vesicatorio* omisso, ne gangraena accedat.

Alvi purgantia.—Alvus, inflammato jecinore, persaepe torpet; quod gravi fit irritamento. Intestina igitur vacuefieri oportet, salibus mediis multa aqua liquatis ad eum finem ingestis: hujusmodi sunt *phosphas sodae, sulphas magnesiae, sulphas sodae.* Haec medicamina duplici ratione proficiunt: nimirum, exinanienda alvo, et va-

sis secernentibus intestinorum incitandis; unde massa quoque humorum circumeuntium imminuitur. His interdum rite adjiciuntur *infusum cassiae sennae*, *submurias hydrargyri*, et radix *convolvuli jalapae*. Alvus quoque ducenda, liquore emolliente in eam infusa. Si alvi fluxus adsit, haec omnia mittenda erunt; et potus mulcendo idonei potius ingerendi.

Sudoris moventia, refrigerantia, fotus.—Cutis praeter naturam stricta aret et incalescit. Sudor igitur praeparatis ex *antimonio* provocandus. *Nitras potassae* multa aqua solutum sitim et ardorem sedabit. Eodem consilio *acidum sulphuricum* et *citricum* dari possunt. Partem affectam extrinsecus fovere, aqua tepida, aut panno laneo hac madefacto, signa molesta persaepe mitigat.

De vomitus cientibus.—Quidam medici vomitum moveri medicamentis jusserunt,

ad nauseam tollendam, et sordes ejiciendas. Vomitus autem plus nociturus videtur, jecinore exagitando et irritando; quam, acribus subducendis, profuturus. Mala haec signa *subcarbonate potassae* et *acido citrico* inter effervescendum sumptis leniuntur, quod medicaminis genus laedere nequit.

De hydrargyro.—Quando et quousque praeparatis ex hydrargyro utendum sit, inter medicos parum convenit. Quidam ea ministrare consuerunt a morbo ineunte: alii, sanguine jam detracto: alii denique iis omnino non opus esse existimant. Medicis peritissimis jam persuasum, *hydrargyrum* non inter principia concedendum esse; eo quod fortiter stimulat. Me judice saltem, quoties jecur nostratibus inflammatione acuta tentatur, hoc metallum prorsus inutile est. Non nisi hoc viscere aut durato, aut eo vitio instante, auxiliari videtur. Quomodo duritiem praesentem solvit, aut venturam praecavet, nondum pro comperto habetur.

Plerique opinantur hoc metallum prodesse, vasis resorbentibus concitandis, adeo ut lympha dura effusa resorbeatur. Aut unguento *hydrargyri* cutis illinenda; aut *pilulae coeruleae*, quae vocantur, ingerendae; aut demum *submurias hydrargyri opio* junctum quotidie sumendum. Quacunque ratione adhibeatur, efficiendum erit, ut os saliva superfluat; aliaeque notae hujus remedii rite corpus imbuentis accedant. *Unguentum* tardius, at certius, agit, quam praeparata ex hoc metallo in ventriculum accepta: et vires minus, ni fallor, infirmantur. Si ob corporis proprietatem, hoc metallum non conveniret, eo statim praetermisso, *acidum nitricum* praecipiendum.

De victu.—Cibus e tenui materia praestat: carnes et liquores meraci nocebunt; nec sane appetuntur. Victum e frugibus confici oportet; quales facile concoquantur. Lac et far omnigenum concedenda.

Si remediis nil valentibus, jecur suppurat, vires sustinendae ; et pus, si fieri possit, educendum. Ad vires reficiendas, vinum et cibus e carnibus danda. Cinchonae officinalis cortex juvabit, si ventriculus satis firmus sit: sin minus, *acidum nitricum* praecipi debebit, aut *acidum sulphuricum aromaticum*.

Si abscessus ad exteriora tendit, cutis *cataplasmate* molli et aqua tepida fovenda, quo ille maturetur, citiusque promineat: dein, scalpello admoto, pus eliciendum. Non oportet expectare, dum tegumentis sua sponte diruptis, pus proflueret; metuendum est enim ne, si moremur, in ventrem profundatur. Praeceptum illud igitur, quod de aliis abscessibus recte proponitur, hic idoneum non est. Nec vero incidenda erit cutis, nisi parietes ventriculi parti jecinoris, quae suppurat, adhaereant: quod, necne ita se habeat, facile est cognitu, si aeger in latus sanum decumbit; ita enim jacenti tu-

mor evanescit, nisi hae partes cohaereant; quod si simul conglutinentur, ejus moles vix imminuitur. Pars ima abscessus secari debet, quo facilior exitus puri concedatur: vulnere exiguo, ut cutis cito sanescat, et ne pus citius effluens animae forsitan defectionem afferat. Si in intestinum *duodenum* aut *colon* profundatur, medicus illud solum moliri poterit, ut vires refocillentur, et alvus pure vacuefiat. Si in ventrem plurimum puris fluxerit, *paracentesi* adhibita, tollendum erit. Si in pulmonem vertitur, ea quae sputum moveant, adhibenda; qualia sunt *scilla maritima*, *ammoniacum* et *vinum tartritis antimonii*; aut vapor aquae tepidae inhalandus. Si in ventriculum aut renes transeat, nihil penes est medicum, nisi curationem antea dictam sequi, et signa molesta consopire.

FINIS.